

NEOVIDENSIS

Nro. 106. (*Neovidensis* 1806. Nro. 100.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functo:um.

Elysium--Meum. -- Die Martis 26. Decbr. 1806 (*Neov. 12. Dec.*)

— — — Rediviva Polonia nobis
 Spectanda offertur, plectit victoria laurum
 Sarmaticam, magni victoris tempora cinget;
 Portentum naturae, hiemalem et cogere florem.

Colloquentes umbrae:

Joannes Sobieski, et Adamus Naruscevitx.

Naruscevitx. Vestrae Majestati nota est fortitudo nostrae nobilitatis; Nihil illi deest praeter ordinem militarem, persuasissimum habeo, illum a magno liberatore recte institutum iri.

Sobieski. Verum vicini, adeo potentes, ordinatam jam habent militiam, atque Sarmatiam suam reputant patrimonium.

Naruscevitx. Unus horum potentium vicinorum jam attritus est, tota Borussia usque ad Vistulam subacta est. Austria neutras bellantium sequitur partes: sola itaque superest Russia, contra quam bellum apparatur.

Sobieski. Miror singularia orbis terrarum fata. Ad hoc usque tempus, veluti hoc res gestae in Europa testantur, populi septentrionales partem Europae australem inundarunt. Ex Scandinavia advenere Gentes, magnaeque illae Gentium migrationes, quae saeculo 4to et 5to evenerunt, ortum habuerunt ex septentrionibus, peragrarunt Germaniam, Galliam, Hispaniam, imo etiam Italiam, ubi tandem domicilium fixerunt. Hodie easdem nationes ex Gallia video proficisci versus septentrionem, et stupeo novum rerum cursum. Populos septentrionales hactenus semper versus Austrum tetendisse, docet Russia. Russi ante centum annos ignoti erant in politica Europae, in qua hodie magnum habere pondus nervis, velisque contendunt.

Naruscevitx. Quapropter summum adest tempus ponendi obicem huic torrenti, quem statuere sola potest Gallia. Restituta enim Polonia validum erit propugnaculum tam Turciae, quam Austriae; Poloniae fines proferendi sunt, ut valeat viribus Russicis resistere, quem in finem Austriae, et Portae Ottomanicae collaborandum est.

Sobieski. Magni momenti politica operatio! Non nego, eam forte pro aliquo tempore prospere cessuram; sed ita potens natio non facile sinit sibi aliquid adimi. Ut Polonia in fortem statum militarem redigatur, etiamsi succederet pristinam ejus imperii formam redintegrare, longo opus est tempore. Et Galli tamen non possunt tamdiu in ea me-

rari. Quid autem si facta pace regrediantur? Russia suos conatus versus Austrum instaurabit; hac ratione dissensiones recrescent, et bella erunt perpetua, eritne autem semper felix belli exitus?

Naruscevitx. Hanc in rem sancientur firmissima foedera.

Sobieski. Ego huic proposito video unicam tantum favere designationem, videlicet, si Svecia a septentrione, et Turcia a meridie bellum indiceret Russiae, tunc posset pacificatio extorqueri; verum hoc nuncii Constantinopolitani de 24. Octobris non confirmant, hujus enim sunt sententiae: Russicus legatus Italinsky factam sibi invitationem a Ministro Turcico pro habendo 11. Octobris colloquio deprecatus est; declaravitque, se jam identidem clarissime demonstravisse petitiones suae Aulae ratione initorum inter illam, et hoc Regnum foederum; ut superfluum sit de eodem argumento uberius tractare, potissimum, cum ejus Imperans urgeat, ut data fides servetur, et certe non patietur jura sua infringi. Caeterum cum observet postulata sua esse irrita, fixum illi est discedere, quamprimum se adversi composuerint venti. Est reipsa omnia praeparabat pro abitu, jamque die 12. mane cum sua supellectile, et legationis comitibus dimisit navigium ad mare nigrum, ipse vero legatus illico demigraturus putabatur; Haec res non mediocriter perculit omnes, qui eam tam ad publicam, quam privatam utilitatem referebant.

Interim legatus Anglicus nihil pratermisit, quod ad mutandum Portæ Ottomanicæ consilium valebat, imo plus operæ adhuc impendit in eodem negotio, postquam a sua Aula nuncium accepisset extraordinarium.

Tandem die 13. vesp̄eri, utpote pridie, quam Generalis Sebastiani solenni cum pompa Imperatorem adiret, patuit effectus propositionum legati Russici, fides ei facta est, utrumque Principem Morusi, et Ipsilanti pristinae dignitati restituendum. Ex hoc tempore non reluctabatur amplius legatus Russicus agere cum Ministro Turcico, qui tertia dein die certas subscripserunt conditiones.

Expectatione erant omnium animi suspensi, an, quod petebatur, effectui sit dandum; sed jam 17 Princeps Morusi, Jassio adveniens et Principis Ipsilanti negotiorum gestor veste honoraria, tanquam signo recuperatae antiquæ dignitatis induti incedebant. Inde factum, ut Dominus Italinsky itineri renunciaverit, notumque reddiderit subditis Russicis reconciliatam esse inter Russiam, et Turciam veterem amicitiam.

Idipsum etiam significavit Anglicus legatus D. Arbuthnot anglicis mercatoribus.

Circumferuntur quidem exemplaria de nova armorum societate 1. Octobris Russiam inter et Turciam inita, verum fide digne nihil constat, quin affirmatur, in hoc novo tractatu contineri tantum veteris renovationem.

Interim multi opinantur, in systemate Portae Ottomanicae propediem novas orituras mutationes.

Naruscevitx. Berolinenses ephemerides scriptae 6. Decembris narrant, Regem Borussiae non consensisse in inducias. Marschallus Düroc die 27. Novembris rediit a Rege Borussiae, quem accessit Berolino Zastrovius; Elector quoque Saxoniae, quin cum Imperatore loqueretur, Berolino repetiit Dresdam. Eaedem ephemerides dicunt Magnum Ducem Montanum morari Varsoviae. Die 3. hujus propugnaculum Glogaviae in Silesia se potestati copiarum Würtembergicarum tradidit. Venetiis de 20 Novemb. sequentia scribuntur: Galli, qui ex Dalmatia in Italiam iverant magno numero, rursus revertuntur in Istriam, formaturi notabilem exercitum sub imperio Generalis Marmont; Gallicum primarium hospitium adhuc est Spalatri. Jadræ die 2. hujus Generalis Provinciae Praefectus Dandolo aperuit congressum ablegatorum ex Dalmatia.

Russi, et Angli non tantum obsident Venetias, sed omnes etiam in mari mediterraneo situs portus italicos. Saepe excensiones faciunt in Istria, ita nuper invadentes *Novigo*, *Polam* etc. gallos gregarios ceperunt, ex aggeribus praesidio nudatis tormenta aenea abduxerunt, ferrea vero aquae injecerunt; Caeteram incolis nullam facesunt molestiam, persolutoque pretio alimentorum in suas se recipiunt naves.

BIOGRAPHIA.

Joannes Sobieski, Rex Polonorum, praecipuus illorum temporum bellidux, A. 1665. renunciatus fuit Magnus Coronae Mareschallus, et A. 1667. Magnus Coronae campi Mareschallus. Eximias retulit victorias de Cosacis, et Tartaris, variis occasionibus fudit Turcas, quos celebri clade affecit ad Coezinum A. 1673. Die 20 Maji A. 1674 Rex Poloniae electus est, liberavitque ab obsidione Vindobonam A. 1683. Praestantissimus erat Principum, diversarumque peritus lingvarum; Scientias magni fecit, virosque eruditos, fuitque dotibus Heroe dignis ornatissimus. Diem obiit Varschoviae 17. Junii A. 1696 anno aetatis 72.

Naruscevitx (Adamus Stanislaus) Episcopus Lucoriensis, et Brestiensis in Lithuania, praeterea Eques ordinis aquilae albae, et S. Stephani, a poësi, et scribendis historiis etiam extra patriam notissimus. Natus est A. 1733 antiquo genere in Lithuania. Adolescens datus est erudiendus Jesuitis, quorum etiam deinde ordinem ingressus est. Tardius ingenii excolendi causa peragravit Germaniam, Galliam, et Italiam. Redux in patriam, et Societatem Jesu praefectus est regendo collegio nobilium Varsoviensi. Hic brevi ita se distinxit, ut omnium, ipsius etiam Regis, Stanislai Augusti attentionem in se converterit, fueritque ab eo saepius ad colloquium adhibitus. A. 1773 dissoluta Societate Jesu Rex eum accepit ad suam Regiam, utque praecipuas Poloniae divisiones in chartam conjiceret, commisit; Interim nihil

horum juris publici est factum. Quae autem idiomate Polonico edidit opera, sunt sequentia: Historia nationis polonicae in 6. tomis, quorum nonnulli jam etiam in alias linguas translati sunt; Tacitus in 4. tomis. Vita Lithuanici belliducis Joannis Chodkiewitz in 2. tomis. *Tauryka*, seu res gestae Tartarorum. Odae Horatii, et nonnulla poemata ab ipso composita plena artis, atque ingenii in 4. voluminibus. Rex Stanislaus Augustus in ejus honorem curavit excudendum nummum, in cujus parte antica ejus effigies, et celeberrimi polonici poetae Casimiri Math. Sarbievsky exstat, in aversa autem haec verba leguntur: *Quo non pertinet captans, ibi desidit alter.* Idem Rex eum nominavit coadjutorem Episcopi Smolensciensis, Magnum notarium Magni Ducatus Lithuaniae, postea Secretarium permanentis Consilii, A. 1788 Episcopum Smolensciensem, A. 1790 Episcopum Lucoriensem, et Brestiensem in Lithuania, Ipse etiam eidem contulit 2 equestres ordines polonicos. Episcopus fuit recti exempli, ultimis vitae diebus more Christianorum se paravit ad aeternitatem; mandavit, ut ejus tumulo in testimonium verae fidei haec insculperentur verba: *Cor meum, et caro mea requiescit in spe.* A. 1796 die 8 Julii mortuus est in sua sede Episcopali Janovo prope Varschoviam, annos natus 63.

Problema.

Studiis intentus quaerebam ex oraculo politico, quae urbs, ob suam mutationem, praesertim sui Rectoris plurimum sit lucrata? Quis sit ille Rector, qui ob suam humanitatem amor populi est, et quando vera felicitas hujus urbis initium sumtura sit? Oraculum respondit: Mathematicae paucis ista proponimus: Si primam litteram vocemus a , secundam b , & sic porro, nascentur sequentes aequationes: $a = f$, $b = h$; $e^3 + c = ab + 1^2 + e^2 + cf^3$; $cd = f + g$; $a + d = g$; $bc + = h + = b + e + i$; $b + c = i$, et summa omnium litterarum $= ad + i$. Inven-

to valore litterarum redigantur in ordinem

alphabeticum ita, ut $(K - E \overset{C}{=} (z - A + 1)^2$
 $\& (O - N) \overset{A}{=} (A + B)^0$. Ad cognoscendum nomen Rectoris fiat operatio ita, sicut in urbe invenienda, ubi sequentes erunt aequationes: $a + e = c + d + 1$, $cd = a + 26$; $c = a - 9 = k$; $d = c + e - 2$; $e = b = i = n$; $f = a - c = h = u - 1$; $g = e + f$; $l = 2c = t$; $m = a - d$; $o = a - 1$; $2p = d$; $q = 3p$; $r = a + b - p = v$; $s = a = z$; $u = b + c$; $x = a - b$, et $y = v - u$. In $oc^2 + 7$ continetur annus, quo secundum publicas ephemerides felicitas hujus urbis initium habebit.

Quaeritur, quomodo possit ope Algebrae verus hujus oraculi sensus erui?

Isacue Schuster,
 Francofurtensis tabellarius.